Frid. Zamel I

EPIGRAMMATUM

Liber XIV.

Elbingæ

Typis BODENHAUSIANIS
Anno M. DC. XLII.

Ad libellum.

EXi Epigrammaticῶν bis ſeptima cura librorum:
Ardua doctorum vade ſub ora virûm.
Sperne ſupercilium plebis non omnia doctæ.
Quisquis erit Vates integer, ille leget.
Antè domo noſtri, cui ſacrum es pignus, amici
Siſtere, quàm volvat Te peregrina manus.

Excellenti Eruditissimoq; Viro,
Domino

DANIELI WISNERO Phil. ac Medicinæ Doctori, Reip. Elbingensis Archiatro, amico integerrimo S.

ITa habui semper, mi Wisnere, amicorum præsentes obseqvio & benivolentiâ, absentes aut tales morte futuros memoriâ virtutis esse prosequendos. Etenim si hujus robore præsidioq; fulta est bonorum amicitia, neq; cum vitâ eam deponentium desinere debet vox, quæ illam coluerat. Quapropter cùm viris omnium ordinum præstantissimis inter ea officia, quibus sibi me devinctum habuêre, observantiam, fidem, amorem meum his litterariis monumentis sed absq; ordine testata voluissem; Tibi non in postremis meorum hærenti libellum hunc, qui Epigrammatum decimus quartus est, consecrandum duxi. Annum finiet decimum imminens Clusius, cùm neq; legib⁹ indiguit noster amor, nec correptione prævaricatio. Habes igitur his Saturnalibus, mi Wisnere, cùm Tui in me animi voluntatisq; præconem, tum præsertim mei erga Te candoris argumentum affectu sempiternum. Tuâ sponte referes quas vices à Te exigo. Id autem contendo, ut amare pergas quàm diu vixeris. Sed ut vivas diutissimè, Illum obsecro, qui omnia largitur rectè precantibus. Dabam Elbingæ XIV. Calend. Januarii anno s. n. M. DC. XLII.

Tui decoris
studiosissimus
Frid. Zamelius.

Ad Excell: doctisſimumq; virum Dn. Danielem Wisnerum.

O Mihi jam decies pacto junctiſſime clavo,
Culmen amicorum Daniel Wisnere meorum,
Pars ſincera mei totidemq; aſſerta per annos,
Cùm ſtetit & velli licitis concordia punctis:
Qui cum venturas optem traducere meſses
Venturasq; hiemes, donec nos ſeparet una
Summa dies. Mihi nexa piè Tua dextera: Tuq; es
Confiſus pietate meâ. Levis anſa fuerunt
Phœbéæ geminis claræ virtutibus artes.
Prima ſalutiferæ venit Tibi laurea curæ:
Proxima Caſtalii eſt mea carminis. Exige Tecum:
Nî locus & thalami dederint affinia jura,
Deërant fœderibus cauſsæ atq; exordia noſtris.
Si cuiquam placui, non ultimus accipe teſtem
Æternæ fidei: quam ſi violaverit ætas
Morte meâ, vincent manſuri funera libri.

De Illuſtriſsimo Principe ac Domino, Domino Georgio, Duce Oſsoliæ &c. &c. &c. Poloniæ Cancellario, Elbingam ingreſso.

DUx Oſsolinius procùl alti culmine templi
Elatum pelagi viderat inſtar Habum.
Præſens immenſos optabat cernere fluctus:
Præſentem ſtupuit mitior unda deum.
Inclite Dux, quo Te ſenſu quâ mente colamus,
Adſpice; ſi brutæ Te venerantur aquæ.

Ad liberos suos.

NEc benè nec tutò verbis utêre Latinis,
Gens mea, si voces negligis Argolicas.
Quicquid habet Latium, descendit origine Græcâ:
Optat & à solâ filia matre coli.
Nuper nescio quis Goth-Alani de grege Baldi
Dicturus tripodes dixerat Antipodes.

Villa agerq; M. M.

VIlla gerit pictos excelso in parjete campos:
Exhibet & pictas, quæ capiantur, aves.
Progredior, tueorq; suo sub munere silvas:
Ac variâ cultos Chloride sector agros.
Heic veras venamur aves, heic quærimus umbras.
Pictorum tabulis sola fruatur hiems.

Fœnum cordum.

O Rerum domini cunis memorabile fœnum!
O quacumq; pates, nobile germen agri!
Demessum sub nostra venis vestigia: sed tu
Præbebas domino strata thorumq; meo.
Dum meditor pecori atq; homini quæ commoda præstes,
Sanctius esse nihil sentio flore tuo.

Spectabili Consultissimoq; viro Dn. Matthiæ Critolao S. R. E.

SIt mihi amicitiæ Tecum, Critoläe, perennis
Vsus & in nobis se tueatur amor.
Fœdere se nostro victum fateatur Orestes:
Et doleat Strophio natus amasse minùs.

Posthabeant Strophium cumq; hoc Agamemnona Regem,
Secula post nostros exoritura dies.
Materiem justi quisquis tractabit amoris,
Ille Tuam inculcet Zameliiq; fidem.
Sit qui usq; ad Gades dulcem comitetur amicum:
Panditur in nostras amplior ora vias.
Si quà erit in fatis, Eoa cubilia Solis
Tecum Arabes ultra Taprobaneng; petam.
Omnia defugient nostros fastidia casus,
Exorsq; alterius non erit alter opis.
Cessit amicorum nexus sub fœdera mundi.
Proximus hûic ipsi est integritatis honos.
Nil moror ingratas animis sine talibus auras.
Primus es in paucis Tu Critoläe meis.
Donec erunt illi, ne degam utcumq; beatus,
Dejiciat vultum nulla procella Tuum.
Fama meis de Te respondeat integra votis,
Et votis videam Te superesse meis.
Hæc adeo, ut nôris quàm sit mihi vivere Tecum
Dulce, atq; ut Tecum sit mihi dulce mori.
Vt nôris, cùm Te graviora tulisse liqueret,
Penè quoq; in casu me periisse Tuo.

In tenebriones.

NIhil agitis tenebriones pessimi:
Nec si cruentâ vos manu oleam stringitis,
Vti barbaro atteratis hanc vestigio
Vicina per rura, itidem in agro Drusidos
Licebit. Vt ne nesciatis improbi,
Non consita est nostra olea vestris calcibus.
Vos sorba delectant: nec illa vellimus.
Date copiam, ut nostris fruamur pausiis.

Ad

Ad formosas.

NVbite formosæ: formam sua destruit ætas.
  Trita satis ratio est. Nubite: major adest.
Christinæ faciem loculo spectate jacentis.
  Quæ formâ cunctas vinceret, illa fuit.
Corrupta est variis; ut cùm non nubere posset
  Virgo pari, mortem invenerit in lacrumis.

Dn. Danieli Wisnero M. D.

BEne est profectò, nec potest jucundius
Wisnere quicquam accidere nostris auribus,
Quàm eò redactum esse os calumniantium
Audire, ut in nobis quod illi vituperent,
Nihil habeant præter cibum parabilem,
Et apparatuum fugam dapalium,
Cymâ incoatas aut olivâ simplici,
Et absolutas pariter îsdem frugibus
Vtriusq; cœnas, sed (quod ipsum non negent)
Verba inter utilia atq; mores compares.
Quàm sint inepti, dixerint vel aucupes:
Qui pluris indicaverint ficedulas,
Si præstinet Wisnerus & Zamelius.

Ad Cives suos.

O quoties dixi: comites prohibete Dianæ.
  Absumit vestras turba canina dapes.
Sprevimus, ô cives, lætâ genus indole nostrum:
  Et patriæ (indignum!) sumine crevit Hylax.
Iam pueros Patresq; latrat, jam dente lacessit,
  Baubantumq; coit tota caterva canum.

Ad

Ad Cœlium.

STudium placendi multa perdidit Vatum
Ingenia, Cœli: ut plurimùm joco lusu
Vulgum ambiunt legentium: quod ad nervum
Animiq; acumen, separant uti cassam
Nucem. Sed ultra nos manus, sinus, aures
Popularium provehimur inciti sensu
Punctoq; trans mare incolentium terras.
Quorum parentes hoc fuêre ter quinq;
Ante ampliusq; secula optimi Vates,
Quod esse nobis oppidò licet paucis.
Quod judicant multi, Poëta nequaquam est.
Sunt aliud illi, aliudq; sanniones sunt.

Amor in nivibus.

INventus puer est Geticis pastoribus inter
Algentes, ruerat quas fera bruma, nives.
Et genus & nomen quærunt: ait esse Cupido.
Mirantur valido membra rigere gelu.
Mirantur facis esse nihil, nihil ignis in illo.
Hic quoq; monstrari quo solet, arcus abest.
Tum sic questus Amor: Me Iuno extrusit Olympo,
Vt degam in nivibus, quaq; homo nullus amet.
Falsa fuit Iuno: sic vos dixistis agrestes:
His etiam in nivibus sunt Tua regna, puer.

De Cynthiâ.

CYnthia venturis ut sumtum parceret annis
Admonita est. Magnas Cynthia fregit opes.
Multa quidem dapibus, sed plura impendit amictu.
Non habet in paribus Cynthia veste parem.

Tunc

Tunc erit offa satis; tunc, inquit, sordida cyclas,
Cùm fuero, quod dI ne dederitis, anus.

De Ricciâ.

ARsit in Antiphilo, desponsa est Riccia Marco.
Condidit octavo Riccia mense virum.
Non intestati ditata est morte mariti:
Nunc facta Antiphili est uxor, amata diu.
Caussa subest facto: Antiphilo quò carior esset
Riccia, venata est pasceolum pthisici.

De Bataviæ insulâ.

PArva licèt sociæ suffecerat insula Romæ,
Cùm gererent Latii Teutona bella duces.
Sæpe recens Batavâ steterat virtute triumfus:
Nunc gemino Batavus concitat arma polo.
Si qua fuit Xantho aut Simöenti gloria parvo,
Plus Mosa plus Rheni cornua laudis habent.

Reginaldo Hogitio.

FVgisti patriam mala Reginalde perosus
Illa, quibus Civem Martia turba premit.
Fugisti ob Christum sola non Tua. Gloria certè
Major ab hac caussâ est, perniciesq; minor.
Dum favet ille Tibi quocumq; sub Orbe repertus,
Virtuti superest omnis in Orbe locus.

Ad Comites noctu.

Astra silent, cœliq; jubar sub nocte profundâ est,
Inq; suos abiit arida Luna thoros.

Distrahimur fatuis salebroso tramite flammis?
At nobis, Comites, ista tenenda via est.
Nusquam lucifero, socii, deflectite cornu.
Ad tenues spes est nostra redacta faces.

Abusus Orationis, ut vocant, Dominicæ.

PRofanus ille, ne quid amplius audiat,
Qui primus ausus hoc precum compendio,
Quo supplices rerum Parenti sistimur,
Arctare puncta temporum, sic cernere:
In hac precatuum hæseris dum formulâ,
Confiet illud, fiet illud alterum.
Adeon' vel hujus mominis finitio
Deest alia nostris institutis? Impium est,
Abusus est, & vocis usurpatio,
Veneficarum qualis inter murmura.
Sunt inter & valla actuum & capedines
Horarum ab integris relicto seculis
Vocabulo. Atq; saniores Ethnici
Hanc morulam amussim ut explicent, Usq; admodum.
Fac, *inquiunt*, dum quinq; numeres quinquies.

In Prosodiam Germanicam Præstantissimi viri juvenis Iohannis Petri Titii.

SUccessit Grajis Romana potentia rebus:
Hinc habuit ritus, jura, theatra, metrum.
Successit Latiis victrix Germania rebus:
Et Latii accepit cuncta, sed absq; metro.

Omnia

Omnia quæ Romæ fuerant, ut Teutonis eßent,
Vltima lex metri traditur à Titio.

Tyranni.

NVbe vacat cœlum: lux eſt nitidißima Phœbi.
Redditur aſperior quæ modò cepit hiems.
Iſta tyrannorum facies eſt, iſta malorum.
Nam viſi totâ fronte favere nocent.

De Medicis.

HÆc ego de Medicis fabor: genus eße deorum.
Phœbus eis genitor, mater Hygéa fuit.
Ipſi herbas nôrunt, ac quo ſint tempore lectæ:
Et metuunt ſuccis pluribus eße graves.
Noxia permittunt, ſi non his abſtinet æger:
Ne cibus in noxâ ſit tamen, arte cavent.
Nec facies illis auſtera, nec aſpera vox eſt.
Sæpe manu præeunt, alloquioq; juvant.
Si quid ego experior: langventia corpora tales
In reditu Medici non habuére diu.

De Schnurſio.

INſulſus eſt & ſordidus novendecim
Eccleſiaſtes ruſticorum Schnurſius.
Ad Optimates Vrbis atq; Præſides
Quoties venit, vix digitulo levat apicem: Sed succutit, sed experitur si hæreat.
Fœdumq; tendit indicem cum pollice:
Ac neſcio quid murmurans in nodulos
Et mundiores veſtium lacinias
Projectat omnium, quibus amat unicè
Placere; fodicat, ſcalpit, urit, vellicat:

Hoc rumpit illud inquinat, studia atq; opem,
Persuasus involasse sustinentium.
Et familiarum matribus molestus est,
In ædium si fortè prothyro offenderit
Bellus salutator: tenellas corripit
Et unguium rigore mulcet dexteras
Fracturus imprudenter os vel tendinem.
Tum morbidum à cophino minatur hœdulum,
Aut casea offert olida nauseantibus,
Partes ut aliquas apud herum sibi impetrent.
Rogavit unus è meis tribulibus,
De Schnurfio quid sentiam clientulo:
Pecus est, ut alia, reddidi, nisi quòd sacrum est.

Ad Corneliam.

FOrmosa es: negat hoc nemo Cornelia. quid tum?
Dos ea corrumpi crasq; perire potest.
Dives es, & patriis opibus Cornelia polles.
Perdere eas hodiè sors inimica potest.
Vidi ego formosas: nec erant sine divite censu.
Sunt illæ, quod Tu cras potes esse, nihil.

Poculum stanneum.

DVximus è stanno jucundi dona Lyæi,
Est suus in testâ quâlibet iste deus.
Sit decus argento: sit in hoc mihi digna supellex.
Hoc quod cum numo cuditur opto pecus.
Quisquis ab aurifabrûm sumsisti vasa tabernis;
Rem reputa, toto est summa triente minor.

Carinus & creditores ejusdem.

Solvere

SOlvere damnatus contraxit mille Carinus:
Chirographo cavit pignoribusq; soli.
Tota coactori numerata est uncia: binas
Causidicis, scribis, judicibusq; dedit.
Prædia nunc vendit villam subeunte ruinâ:
Sexcenta ex omni præco redegit agro.
Præco trahit partem, crevitq; usura moranti:
Tercentum è totâ sorte Carinus habet.
Hoc superest, ultraq; nihil quo solvere possit.
Huic, qui crediderat, plus nocuêre moræ.

De Glaphyrâ.

ÆDibus angustis habitat Marcellus, in amplis
Vlpius: & Glaphyras ambit uterq; thorum.
Integra Marcelli fama est: quam perdidit alter.
Eligit hunc cupidè vana puella virum.
Sic Glaphyra expediit: Viventum est commoda sedes:
Attinet extinctos morte, fuisse pios.

De Venere.

ACta columbinis Amathuntia venerat alis
Ad Scythiæ fontes & glaciale fretum.
Protenus astrictas vestigia flexit ad undas:
Sed retulit tenerum frigore mota pedem.
Risit Amor, tamen orta mari mea mater es, inquit.
At minimè Scythico, reddidit illa, mari.

Dn. D. Wisnero.

ET potes octo dies nobis, Wisnere, negari,
Et potes in primis partibus esse meus?
Nos mala substilli, febrium nos querquera vexant
Frigora: nos febrium torridus ardor habet.

Præ-

Prætereo morbos: ad fœdera nostra revertor.
Quò dextræ atq; aræ, si jacet illa fides?

De Macello & Tomaculo.

Quàm delicatum est! tamen idem durissimum
Martyrium habet Macellus *illo* Dalmatâ
Philippomastige ortus, ac purissimæ
Confessionis *osor: ab ephebis piâ*
Manu foveri gentis exteræ: Scholis
Immitti, & artibus instrui domi ac foris:
Sic liberaliter habitum templis, choro,
Sacræq; cathedræ præfici: lectissimo
Connubio, pecuniis, agro, domu
Beari: at unicum vetari, quod neq;
Viri est probi, ne voce turbas excitet.
Civem Macellus ipse concitaverat
Iussus tacere, quod libello disputat.
Et liber, & hic qui scripserat, proscriptus est.
In Cinglio, qui militares copias
Secutus est, tamtopere quod reprehenderet
Non habuit ille carcinoma Delphicum
Tomaculus, qui sexies hinc septimum
Lapidem abluit rivo suarum rupium;
Si classicum, sed ô bene inter rancidas
Aniculas subinde canit, in Glaucidos
Fundo sibi suiq; paribus graculis
Hac buccinâ interdictum, & in consessibus
Post Curiarum collocari Præsides
Secùs ac in Illyriaste congrege, ut eloquar
Vt res relata est, questus haut sine lacrimis.

O exeat

O exeat modestiorum finibus
Et hic Macello cum suo Tomaculo.

Amor in Getis.

PVpe, quid in nostro meditaris littore regnum?
Ignorat Veneris frigidus axis opes.
Sic Veneris puero Geticas complexa paludes
Tethys: at hæc mollis dicta reponit Amor.
Redde mihi, quodcumque meo Tibi munere venit;
Quid dices Getico, Tethy, sub Orbe Tuum?

In Ollum.

OLle, quod ingenuum subolent mea scripta Poëtam;
Quique Tibi non est, hic vigor Olle mihi est;
Discrimen gemini fecêre Cupidinis ignes.
Castus amor meus est, fœda libido Tua est.
Quisquis ad obscœnæ Veneris descivit amorem,
Nihil animi Vates liberioris habet.
Magna quidem possunt vos Olle exempla tueri:
Sed nihil ad nostros nox facit illa dies.
Peccârunt ipsi Veneris sub Numine Reges:
DI quoque, si vera est fama, fuêre rei.
Sunt nobis aliæ Nemeses: puerique docemur;
Hoc quod Tu Tecum concipis, esse nefas.
Id patras illumque times, quo vindice nescis
Et scelus & testem dissimulare Tuum.
Præsidium nihili est, quod deforis Olle requiris,
Ex quo dejecit Te Tua caussa domi.
Hoc Olle ingenuo distabunt Vate Pöetæ,
Qui Tecum ingenium non habuêre meum.

De

De Quinctiâ.

Noße meam genesin cùm vellet Quinctia, meq;
Illecebris captum crederet esse suis;
Hic deus, hoc suprà quod Quinctia conspicis astrum;
Hic genus est, dixi, Sol genitorq; meus.
Quinctia subjecit: Res attinet illa Poëtas:
Qui verè genitor sit Tuus, ede mihi.
Vno censeri satis est patre, Quinctia. Namq; &
Pellæo satis est unum habuisse, Iovem.
Agnatus meus est, domiti cui laurea mundi est.
Quod Taurum atq; intra est Ismara, jure meum est.
Hæc cùm dissererem, nunc est trigesimus annus:
Virgoq; de populo non erat illa meo.
Ficta puellarum paribus suspiria nugis
Duximus: & mansit virginitatis honor.
Quinctia jactabat patrem bis terq; Tribunum:
Cerdonem tacuit, quo pater ortus erat.

Collegium calumniatorum.

SCurrarum salvete duces. Si digna locuti
Estis, & in vestris non est sermonibus insons,
Quid subitò stupuistis in alta silentia missi?
Vos ipsi numerus, balatrones, & fatuum frit,
Stercora non homines, & adultera turba vicissim,
Aut ita lenones, quoniam licet. Omphale, Tu qui
Maximus in scurris, nebulonum mitte cohortem,
Aut Tibi constituent centum vadimonia læsi.
Non solus traducor: & in majora ruistis
Nomina sed solùm nocuis à tergore telis.
Si quod es, hoc audire leve est, circumspice virgas
Lictorum, & visis linguam preme verbero loris.

De

De Harpio.

IN Ismara atq; ab Ismaris tr ns Axium
Lelegas & hinc Phryxéa superans littora
Antandron iveram: inde Tmolo constiti,
In fabulosum transiturus Caucasum.
Id somnium fuit, ubi nocte quiescerem.
Sunt qui ubi Hyperion æthere est altissimus;
Vigilant, obambulant, simulq; dormiunt.
Herè centies millena habebat Harpius:
Habebat ædes, & manum atriensium,
Habebat arva & copiam nemorensium:
Bibebat ære, quo Midas & Attalus.
Hodie incolarum est omnium pauperrimus.
Vt crederes merum fuisse somnium;
Ista emit omnia, quando Paulli divitis
Hæreditatem, cui suus nunc extitit,
Spe devorasset credulus rumoribus,
Paulli perîsse filium vulgantibus.
Advenit hic, agnatus ergò exclusus est.
Nil solvet Harpius nec usus commodè.
Est omnium sine fraude restitutio.

De Mathone.

SEx Matho convivas ad cœnam manè vocârat;
Ac cœnæ leporem dixerat esse caput.
Vt venêre viri, surdos vidêre penates,
Cimmeriumq; habuit tota culina malum.
Inclamatur herus: Siluêre hominesq; canesq;:
Vix tamdem è latebris prodiit ipse Matho.
Quot sumus, inquit, erant totidem mihi totq; columbæ:
Sint sine felle, meos destituêre focos.

Ecce cocus firmis ſpatium conceſſerat alis,
Libera cùm Paphias aura recepit aves.
Quid lepore eſt factum? quærunt. Matho reddidit illis:
Invenit pennas non minùs ipſe lepus.

Iuriſconſulti barbari.

Iuſtinianus fuerit, aut quod proditur,
Tribonianus cum Theophilo illo altero
Legum ferendarum triumviro ſimul
Dorotheo in ipſis tertio, qui jus fori
Optavit uno conſpici volumine
Conatus illud aſſequi, quàm falſus eſt!
Quàm frivolè optimos Quiritum antiſtites
Viventium numero expulit! non auſus hoc
Tam grande facinus, ſi putaſſet barbaros
Tot prodituros Vlpiani interpretes.
Non explicant, ſed inquinant: dein furfures
Rotâ gemente ſubvehunt in publicum.
Visnere, tot ſunt leguleji peſſimi,
Vivace quot de ſeminario exeunt
Lumbrici ab alvo tenerioris pupuli.
Iuſtinianus Imperator maximus
Noviſſet illud Themidos infeſtum genus,
Cum matribus propaginem deleverit:
Cum Vandalis ipſos triumfans duxerit:
Poſt Vandalos titulis ſuis asciverit.

De Sthenelo, & Enocho Medico.

ÆGrotat Sthenelus: mulcet bona turba jacentem,
Quæ ſexu & vultu eſt, quod Cytheræa fuit.
Vidit eum Medicus, nec vidit ſigna doloris:
Vidit, cùm Veneres vina cibumq́ꝫ darent.

DI date, qui Medicum fieri voluistis Enochum;
Tam malè, quàm Sthenelo, sit mihi semper, ait.

Sub prælo erat libellus hic, cùm commo-modùm traditæ sunt literæ Iohannis Petri Titii juvenis doctissimi unà cum Epigrammate ejusdem in Famam Almesiæ Zamelianæ. Quod, quia spatium superat, hoc loco acceptum est.

FElix Almesia *es, cui tot concesserat uni*
Naturæ favor, & cœli indulgentia dotes!
Digna Deâ facies, & honestæ gratia formæ,
Quâ multùm fueras cunctis prælata puellis,
Longè animo cessêre Tuo, minimumq; fuerunt:
Quod famam *& tantos Tibi conciliavit honores.*
Ingenii vis mira Tui, morumq; venustas,
Tum pietas, castæq; in sancto pectore flammæ,
Queis solam ardebas virtutem, & inania rerum
Sprevisti excelsó calcans pede, DIVA, triumphos.
Tot peperêre Tibi, cœliq; in parte locârunt.
Adde, quòd egregiis animum coluisse Minervæ
Artibus (in vestro quæ rara est gloria sexu)
Totq; loqui linguis, monumentaq; docta virorum
Quos Latium tulit insignes & Græcia mater,
Pervigili volvisse manu; tum scribere posse
Digna cedro, & versu doctis certare Poëtis;
Tantum Te reliquas evexerat ante puellas,
Quantum sidereos inter pulcerrimus ignes
Lucifer effulget, cœlo cùm surgit Eoo.
Felix Almesia *es: quis tot neget esse beatam*
Dotibus? Hæc fateor: sed si mea dicere sensa

Fas

Fas erit, & sanctas vox hæc descendit ad Umbras,
Elysiosque locos penetrat; me judice solis,
*Nympha, Tui Vatis flammis & amore Zamel*I
Postera Te verè felicem secula dicent.
Omnibus his, quæ Te Divarum sanguinis unam
Ostendêre, Bonis eadem, quæ stamina vitæ
Heu! nimium festina Tibi, Pulcherrima, rupit.
Injectura manum Lachesis ferrumque fuisset:
Quicquid in Almesiâ *fuit admirabile, cespes*
Conderet exiguus, Tecumque ô Nympha sepultum
Altâ nocte foret, sacro si Vate careres.
Ille suam Almesiam *lethæus eripit undis,*
Et Tua perpetuis commendat Nomina Fastis.
Cùm legimus magni dulcissima carmina Vatis,
Qualia Cyrrhæus paucis inspirat Apollo,
Te DIVA & dotes animi, sanctumque pudorem,
Virtutesque Tuas legimus, veneramur, amamus.
Felix Almesia *es: nihil in Te livida Clotho*
Iuris habet: superas majorque ex funere surgis.
Te vivam nuper septem cecinere Poëtæ:
Centum post obitûs alii Tibi plectra movebunt.
Vos ô formosæ Phæbo gens grata puellæ,
Discite divinos monitæ non temnere Vates:
Quorum si qua pium virtute meretur amorem,
Vivet & æternùm memori cantabitur ævo.

Johannes Petrus Titius.